GS/1

Schema "De Ecclesiae praesentia et actione in mundo hodierno"

Prooemium

Postquam Sancta Synodus egit de mysterio Ecclesiae in se suisque membris spectatae, nunc universam familiam humanam considerans, caritate Christi urgetur, ~~tractare de iis~~, quae ~~in~~ ipsius sui Fundatoris divini mandato fidelibus omnibusque bonae voluntatis hominibus ~~praesentia et actione sua in mundo debeat~~.

Humanum genus, numero admodum cotidie crescens terramque, tamquam commune suum habitaculum suique operis atque cultus campum, replens atque exornans, miris sui ingenii inventis et artibus ad novas hodie fertur omnium humanarum rerum condiciones, novas inquirit vias quibus ingentes naturae vires de die in diem magis rationi subditae in bonum ~~humanitatis~~ convertantur; rerum externarum profectus omnibus aequo modo pateant et mutua necessitudine omnes homines omnesque populi arctius inter se uniantur. Dum vero temporalia cumulantur bona eorumque pro hominibus omnibus utilitas crescit haud parva invenitur incertitudo anxiosaque fluctuatio de vitae humanae recto ordine instaurando. ~~Hoc~~ autem accidit ex eo quod non satis attenduntur ~~bona~~ aeterna quae terrestria transcendunt. ~~Etenim~~ dicente Domino: "Quid prodest homini si universum mundum lucretur animae ~~autem eius~~ detrimentum patiatur ?" (Matth. 16,26)

Quapropter Ecclesia ipsius Conditoris et Redemptoris praeco et ministra memores facit homines eos non tantum pulverem esse et in pulverem reversuros, sed etiam spiritualem animum accepisse ~~et~~ ad vitam sine occasu ~~ordinatos~~ esse. Etenim, ut Sacra Scriptura dicit, "ad imaginem Dei factus est homo" (Gen. 9, 6). Quod manifestius innotescit cum imago Dei, in nobis peccato ~~obscurata~~, Christo Iesu ~~restituta clarescat~~ (~~Cf. Col. 3, 10~~). Haec autem novitas vitae in Christo adeptae communicatur hominibus in Ecclesia tam ministerio verbi quam sacramentis fidei quibus homines efformantur ad instauranda omnia secundum voluntatem Dei in Christo.

Itaque Sacra Synodus docet doctrina et gratia Christi praetermissis, non posse ultimatim solvi tot ac tantas quaestiones hominum huius aetatis, sive ad singulares ~~personas~~, sive ad familias, sive ad varias convictus humani regiones pertinentes.

(d. 18 Maii 1963)

× solutio adaequata sperari non potest

Aprob